



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus

Pappus von Tratzberg, Franz

Ulm, 1725

Fasciculus XXXVI. Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

FASCICULUS XXXVI.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. I. libri primi Regum, in quo describitur mira patientia sterilis Anna.

N. 239. Considera.

QUOD etsi Anna conjux Elcanæ gravissimas injurias & opprobria cogere tur perpeti ratione sterilitatis suæ, nunquam tamen (ò admirabilem & inauditam in foemina patientiam) in verbum, aliquam indignationem redolens, eruperit, quin potius gaudiò & lætitiâ omnes injurias concoxerit, testata in suo cantico: *exultavit cor meum in Domino, & dilatatum est cor meum super inimicos meos &c.* Habet hoc anima virtutis studiosa, ut nullam prætereat occasionem, quâ patiendò mereatur & proficiat in spiritu: atque hinc injurias beneficiorum locò accipit, in se exprimens illud Jeremiæ Vaticinium Thren. 3. dicentis: *dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.* Ut enim homo cibi avidus atque vorax ex illis saturatur epulis, quæ majoris sunt substantiæ, ita famem animæ, virtutum & meritorum avidæ, eò magis sedant injuriæ, quò fuerint graviores. Gulosi igitur similitudine utitur ad propositum nostrum Propheta, cujus verba Carthusianus exponens ait: *plurima sustinebit, & in ipsis, quasi in epulis letus erit.* Silex quantumvis durus sit, fornaci tamen impositus in calcem albam transmutatur, quæ quanto magis madescit, tantò magis bullit, & ignescit, quantoque magis extinguitur, tantò amplius accenditur. Ita homo divinâ præditus charitate, quanto majoribus injuriis impetitur, tantò majori incrementò crescit in amore divino & aliis virtutibus. Hinc de illo verissime canit Sponsa Cantic. 8. *aqua multa non potuerunt extinguere charitatem, sed potius instar calcis vivæ, quò plus de aqua tribulationum bibit, plus inardescit in charitate Dei & virtutum moralium studio.* Totus propemodum orbis videbatur in contumelias & opprobria S. Athanasii conjurasse, ut nullibi tuto lateret. Accusabatur de hæresi, de adulterio, Magia &c. quæ tamen omnia infractò excepiens animò, ad supremum usque virtu-

virtutum & amoris divini apicem pervenit. Marina Virgo, cum veste virili inducta, Monachum egisset, accusata à muliere, quòd eam imprægnasset, pœnam & infamiam è Monasterio expulsa patientissimè tulit, donec secutâ morte ejus innocentia, & per patientiam obtenta sanctitas apparuit: *Surius 8. Febr.* Nicolaa Piccardensis dicta, 50. annis dolores & morbos eâ patientia sufferebat, ut quòd magis cruciaretur, eò magis cruciari exoptaret, & sic quotidie crescens in patientia, cresceret quoque in perfectione: *Nadas. in an. Euch. hebdom. 37.* Quid (ad exempla veteris testamenti reflectens) dicam de admiranda Davidis patientia, quâ cachinnos uxoris suæ Michol, & servi sui Semei sustulit, maximum inde sanctitatis gradum haud dubie adeptus? quid de Jobi patientia referam, quæ tam stupenda est, ut omnibus speculi locò proponi soleat? O Christiane Lector! quàm longè abes à talibus viris & fœminis, qui unicò etiam verbulò tam graviter offenderis? *digere paulisper vinum proprii amoris, quò mades. v. 14. capitis cit.* & disce amore Dei & Salutis causâ amaram bibere aquam, memor illorum verborum Apostoli: *non sunt condigna passiones, hujus temporis ad futuram gloriam &c.* tuam autem imbecilitatem agnoscens, cum Anna Deò identidem supplica pro sexu virili, nempe pro generosò virilique animò, quò adjutus, quidquid adversi impofterum tibi obvenit, patienter sufferas.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 2. lib. 1. Regum, in quo describitur canticum Anne, ejus Votum &c.

Considera: Quid etsi de fide certum sit: nullum in Inferno Redem. N. 240. ptioni superesse locum; tamen Anna in suo testatur Cantico v. 6. cit. cap. *Dominus deducit ad Inferos, & reducit.* Quare hæc verba in sensu spirituali intelligenda, hoc solum indicant teste S. Greg. M. *Omnipotenti Deo ad Inferos ducere, est peccatorum corda aeternorum cruciatuum consideratione terrere, ei quoque ab Inferis reducere, est territas pœnitentium atque commissa lugentium mentes spe vitæ indeficientis attollere &c.* Non absque speciali Mytherio Evangelicus Paterfamilias: Zizania, ab igne tartareo cremanda, noluit eradicare, sed voluit usque ad plenam messem crescere, ut homines per frequentem Inferni meditationem virtuos

tuosis operibus ad mortem usque insisterent. O verè decoram Inferni pyram! exclamat S. Thomas à Villa nova Conc. 1. de Sup. Jud. *Pyram decoram* vocat: eò quòd rigor infernalium pœnarum sæpè cogitatus, animas hominum purificet, & reddat venustas. Enim verò si quæras, unde regius Propheta duplici crimine pessimè conspurcatus, tam insignera iterum consecutus sit puritatem? respondebit ille Psal. 17. v. 23. *Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo*, videlicet Hugone teste: omnia præmia Justorum, & pœnas damnandorum revolve. Si dives ille Epulo, qui ad utramque aurem cœno mundanarum voluptatum jacebat immersus, pœnarum infernalium habuisset memoriam, ab ea fæce depurgatus splenderet inter cœlestes stellas, qui modò instar carbonis teterrimi in æterna mortis umbra sedet. Quare id ipsum ferò nimis agnoscens exclamat Lucæ 16. v. 27. *Rogo te Pater, ne mittas eum in Domum patris mei: habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Quæ verba S. Chrysof. in Psal. 11. scribens sic explicat ad nostrum propositum: sermo de gehenna nunquam factus est in Domo patris mei; ideò ego has pœnas incurri, quia nunquam mente cogitavi, nec differentem de illis audivi. Rogo ergo: ut mittas Lazarum, qui multa de Inferno fratribus intonet; sic enim impietate positâ ad meliorem frugem se recipient. Rediissent etiam ad frugem *fili Heli*, nunquam ultrâ ausi, Deo in Sacris esse injurii, si frequenter à patre ipsis inculcata esset Inferni memoria: nunc verò in sua impietate uterque unâ die mortuus (ut fuerat hòc capite eis prædictum) æternùm sorte sentiunt, quas rarò, aut nunquam mente recogitaverant pœnas. Quare ò Christiane! gehennam cogita, & non incidet in eam; sed à vitiis purgatus proficies, & cresces in virtute ut *puer Samuel*, placens Deo & hominibus v. 26. & 27. citati cap. Pausanias in Photicis Græcorum meminit: in Templo Apollinis appensas esse Tabulas, quæ ignem & horrenda supplicia, damnatis apud Inferos destinata referebant, ut illis inspectis à peccando deterrerentur flagitiosi, & ad virtutis redirent tramitem. O chare Lector! si ignis merè fictus & piëtus tot roboris habuisse credebatur apud infideles, ut spurcitiis carnalibus pecorum more addictos in homines transmutaret, virtutibus studentes, quid ager, ignis ille tartareus nil fictionis admittens, sed tantò verior, quò acerbior, tantoque acerbior, quò activitate suâ infinitiès quasi nostrum transcendit ignem? effatum S. Augustini est Serm. 109. de temp. *Que quisque gravia patitur*

in hac vita, in comparatione aeterni ignis non parva sunt, sed nulla sunt. Imagineris tibi, quidquid terræ hujus immanissimi Tyranni crudelitatis unquam excogitarunt in Christicolas, quidquid barbarici furoris Diaboli ab Inferis vocati in lucem extulerunt, id omne nihil est in comparatione tartarei ignis. Tametsi omnia civitatum incendia, inundationes Regionum, pestilentias populorum, naufragia marium, ægri- tudines corporum, animorum timores omnes in mente revolvas, hæc tamen omnia nihil sunt, adedò quidem, ut S. Hieronymus obiter tantum pœnas infernales animò intuitus, dicat in cap. 2. Isa. *Secretum meum mihi, secretum meum mihi. Ve mihi! hoc est, non possum enarrare, quæ cerno, heret lingua faucibus meis, vox dolore concluditur &c.* Hæc ergò serio cogitans expelles cogitatus omnes, ab objectis turpibus & illicitis natos, & quam hæctenus vitiis dedisti operam, dabis virtuti, ut fugiendò has pœnas, pertingas ad cœlestes delicias.

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 3. 4. & 5. lib. 1. Reg. in quibus describitur Samuelis Vocatio, Vaticinium de supplicio Heli & filiorum. Mors Heli fractis corvibus secuta. Afflictio Philistinorum propter Arcam &c.

Considera 1. **H**orrendum illud supplicium, quod à Deo prædictum, N. 241. postea in Heli & filiis ejus completum est: facio, in- quiebat Deus cap. 3. *verbum, quod quicumque audierit, tinnient amba aures ejus.* Varia existere, & horum peccatis longè graviora, quæ olim commiserat Populus: nec tamen unquam audiebatur Deus tam formidandis verbis pœnas comminatus esse. Enim verò quis neget, gravius peccasse eos, qui vitulo aureo divinos exhibebant honores, quam qui tantummodo carnes Deo Sacratas rapuere? quod de filiis He- li factum legitur. Quare non solus ille raptus & sacrilegium, sed aliud hoc ipsò longè gravius delictum debuit esse perpetratum à filiis istis, quod S. Greg. m. lib 2. in 2. Reg. exponit, sic scribens: *grande nimis coram Domino peccatum erat, quia ad peccandum alios pertrahabant.* hinc non miror: S. Scripturam de aliis peccatoribus loquentem, loqui de illis, mediante pœnitentiâ corpori fidelium jungendis, loquentem verum de scandalosis aliter de illis non loqui, quàm per supplicium à communione fidelium penitus sejungendis. Docet hoc

U u

Aposto-

Apostolus Galat. 5.2. dicens: *quicumque est ille, utinam abscindatur: qui vos conturbat.* Sunt namque Scandalosi homines putrida membra, quae sanas corporis partes instar pestis inficientia, aliud pro salute animae non habent remedium, quam modò à S. Paulo praescriptum: quò non ocius applicatò integrum corpus periclitari necesse est. Christus Dominus scandalosis praeter supplicium, inter aeternos ignes subeundum, etiam temporale designans, noluit eos in publico foro morte puniri, sciens: innatam esse hominibus compassionem, vè cuius ad preces pro eorum vita fundendas, soleant commoveri; quare talibus suffragiis scandalosos nec juvari posse, nec debere ratus, voluit eos hominum conspectui subduci, & alligatà ad collum asinaria mola in profundum maris demergi Matth. 18. Ipse adhuc etiam minimam scandali umbram sublaturus à Judaeorum oculis, nascitur ex virginea quidem matre, sed viro desponsata, solvit didrachma exigentibus in Capharnaò, jubet virgineam matrem suam, ipsis Angelis puriorem, per quadraginta dies ab ingressu Ecclesiae aliarum mulierum instar abstinere, ut legi Purificationis vitatura scandalum morem gerat. Magistri sui exemplum secutus Discipulus ille, maximus Gentium Doctor 1. Corinth. 8. ait: *si esca scandalizaverit fratrem meum; non manducabo carnes in aeternum.* Et cap. 9. ostendit: potuisse se ab aliis, quos instruxerat, victum jure merito exigere, noluisse tamen, & magis proprio manuum labore vivere se elegisse, ne offendiculo foret invidis & avaris, suspicantibus lucri gratia se praedicando Evangelio operam impendisse. Barlaham Martyr, cujus dexteræ prunas ignis & thura imposuerant gentiles, integram potius comburi passus est, quam ut ignem excutiens, specimen remotum praeretur, sacrificasse se Deo cum aliorum Christianorum scandalo. Taceo notissimum illud piissimae Virginis Deo Sacrae exemplum, quae teste Moschò in prato spirit. c. 96. ob elegantem formam insidias diu multumque passa à juvene, tandem ab eo quæsit; quid pulchri haberet in corpore, quò ceu magnete adeò ejus attraheret amorem. ut verò intellexit: oculos hunc magnetem esse; piè in se ipsam crudelis, eos effodit, & effosos juveni transmittit, hoc factò ab omni scandalo liberatam se rata. O Christiane Lector non semel tantum, sed ternà vice instar Samuelis à Deo vocati, vocaris & tu; ut profundè admodum isthac exempla tuo imprimas animo, & simul attentà aure ausculteris Verba Christi dicentis
Mat,


Matthæi 18. *Væ! homini, per quem scandalum venit.* Quod ipsum *Væ!* nunc inter tartareos rogos sentiunt forsitan filii Heli, quorum interitu deterritus cave sis, ne unicum verbum cadat de ore tuo, quod pusillorum auribus exceptum, illis offendiculo sit. Sin autem minùs cautè hoc in passu te hæctenus gessisti, cum uxore Phitrees concipe dolorem de peccatis, aliorum cum scandalo commissis, pariturus imposterum cum eorundem ædificatione filios virtutum.

Considera 2. Arcam Domini, quæ Israëlitis existit Cornucopiæ *N. 242.* omnium gratiarum, existisse gentibus signum practicum gravissimæ miseræ: quare S. Scriptura cap. 5. ait: *cumque venisset Arca Dei in Accaron, exclamaverunt Accaronita dicentes: adduxerunt ad nos Arcam Dei Israël, ut interficiant nos & Populum nostrum.* Nec absque speciali omine isthæc lamenta effuderant: quia eadem Scripturâ teste cit. cap. *circumducentibus eam fiebat manus Domini per singulas civitates interfectionis magnæ nimis.* S. Greg. M. per Accaronitas asserit intelligi fideles illos, qui auditâ fidei veritate, nullum boni operis fructum referunt. Atque hoc satius illis fuisset, intra limites intellectûs nunquam recepisse Arcam Orthodoxæ Fidei, quàm illâ semel receptâ Dogmatibus Fidei difformiter vixisse. *Melius erat illis, inquit de talibus Apostolus Petrus 2. epist. 2. non enoscere viam Justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato.* Quare S. Thomas villanov. Christianum solò gaudentem nomine hîcæ alloquitur Verbis conc. de Ascens. quid tunc dicturus es ò Christiane? quid responsurus es ò contemptor? dicet forsitan Gentilis: nescivi. Dicit Judas: non audivi. Dicit Paganus: non intellexi. Tu verò miser: quid dicturus es? furtum à simplici rudique rustico commissum magnum quidem crimen est, si materiæ gravitas subsit: at commissum à Senatore vel Judice, scientiâ Juris instructo, longè majus est, majorique dignum pœnâ, sic, ait citatus Doctor conc. in Dom. 3. adventûs, qui *Christiani catholici esse dicimur, si simile aliquid barbarorum impuritatibus facimus, gravius erramus: atrocius enim sub sancti Nominis professione peccamus, ubi sublimior prerogativa, major est culpa, & ipsa etiam est culpa, & ipsa etiam errores nostros culpa accusat.* Cum ergo Christiane Lector Arcæ fidei in Templò pectoris dederis locum, ocus expelle Dagon, Veneris simulachrum Philistinorum Deum: aliàs aggrabitur manus Domini super te haud aliter, quàm super Azotios v. 6. citati cap. sentient secretiores animæ tuæ partes vermem conscientiæ, nunquam

Uu 2.

quam

quam emoriturum, & bona fortunæ mures sinistrorum casuum rudent. Ut taceam æternas, quas Deus tibi reservat in altero sæculo plagas.



FASCICULUS XXXVII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 6. & 7. lib. 1. Regum, in quibus describitur Consultatio Philistinorum de restitutione Arca. Israëlitarum pœnitentia & adhortatio Samuelis.

N. 243. Considera I. **P**hilistæos propter Arcæ præsentiam horrendis cladi-
bûs attritos, eandem Israëlitis reddituros, consilium
instituisse, dicentes cap. 6. v. 4. *Quid est, quod pro delicto reddere debemus illis? ubi tandem unanimi voce votoque conclusum: juxta numerum Provinciarum Philistinorum quinque Anos aureos facietis & quinque mures aureos &c.* Statutum hoc illicò in opus redacturi tales bestias præstantissimo adjunxerè thesauro, in curru vehendo. Quod verò in hac Historia admirationem provocat, est hoc vel maximè: quòd sacer textus scripturæ talium animalium mentionem faciens, ea nominet versu 8. *vasa aurea*: quâ ratione enim deformes vilissimique mures tam pretiosa vocentur vasa? S. Greg. M. sensum moralem hîc secutus, per abjectissima hæc insecta intelligi asserit *peccata nostra*, quæ dum per veram & sinceram confessionem clavis Ecclesiæ subjicimus, auri naturam excellentiamque mirâ metamorphosi induunt. Atque hinc Propheta regius conscientiam hominis, per confessionem purgatam sub ornatissimæ Reginæ habitu & figura nobis repræsentat Psal. 44. Ille publicanorum Coriphæus, Zachæus nomine, vix sua confitendò detexerat peccata, illicò domum suam in Sanctuarium mutavit, supremo Cœlitum hospite dignum, audiens; *hodie in domo tua oportet me manere*, Eâ ipsâ die, quâ Disinas
infa-